

strare quærere volentibus. Non desinebat ætas, & ulterius progrediebatur ars; quæ ut cultores suos redderet certiores, picturas cum nominibus conjungebat. Sollicita hæcenus erat industria hominum & labor indefessus, quæ essent herbarum vires, & quomodo easdem inde felicissimè educerent: Huic sùperiori & nostra ætate novos eosque varios componendi modos addidere *Hippocrates, Avicenna, Galeni, & Rolsincii*, quorum nomina ab interitu perennis fama vindicabit & æternitas.

§. XIX.

Inter olera præcipuè veteribus commendabatur brassica & lactuca: ex arborum fructibus, ficus. Putabant enim, ficum medicamentum esse omnis cibi noxii, ut est apud *Aristotelem*, & ideò in conviviorum bellariis apponebant, ut emendaret vitium, si quod esset ab aliis cibis. Lactuæ verò statuam juxta ædem *Æsculapii* erexerant, quòd *Augustus Cæsar* in longa & ancipiti ægritudine consilio *Antonii Musæ Medici* excellentissimi lactuæ usu fuisset conservatus. Brassicam primus, quod nos scimus, laudat *M. Cato* in libro cui titulum *de Re Rustica* fecit; & ex hoc *Plinius lib. 20. c. 9.* huic præcipatam tribuit inter olera, eamque vim ac naturam habere dicit, qua ut cum ipso loquamur, medicamentosior non sit alia. Cujus sententiam vel eò diligentius persequi par est, quo certiores sumus, Romanos ea, antequam in Latio Medicorum autoritas invalesceret, annis hoc amplius pro medicamentis usos fuisse ea felicitate, ut nullus in populo extiterit morbus, quem ipsa non depulerint. Varias illas virtutes & hanc medendi vim sequebatur admiratio, admirationem cultus. Adorasse enim brassicam veteres morbo laborantes aut affectu, antequam medicinam adhiberent, aliquo modo ex *Hippocratis jumbo* conjectura consequi licet. Ita verò ille:

Ο δ' ἐξολιθῶν ἰκέτευε τὴν κράμβην

τὴν ἐπὶ τῶν φύλλων, ἢ θύσκε πανδῶρη

Γαργηλίοισιν ἐγχυλον πρὸ φαρμάκων, seu ut in margine
ex alio Codice legit *Casaubonus*: θαργηλίοισιν
ἐγχυτον.

D. 2 Elapsus